

6. Celebritatem pro incremento frugum in fer. 2. Pentecostes.

III.

Pro foro omnino abrogandum

Festum s. Martini Episcopi per provincias dioecesis Hildesiensis archidioecesi Moguntinae antehac subjectas hucusque solum celebratum.

IV.

Opera servilia pauperibus, qui diurno labore victum sibi comparant, sacro auditu et divinis ante meridianis absolutis, festivis diebus omnibus permittenda, exceptis tamen:

1. Festo Nativitatis D. N. J. Chr.
2. Ascensionis.
3. Omnium Sanctorum, et denique
4. Diebus dominicis per annum.

Nos igitur, qui divinum cultum pro viribus promovere et augere debemus, iis omnibus, quae exposita sunt, mature perpensis, Hildesiensis et Osna-burgensis catholici gregis modo prospicere volentes, precibus votisque tuis benigne annuentes, auctoritate Nostra apostolica indulgemus, ut festum B. M. V. in coelum erectae, etsi vel maxime optaremus, ut die, quo ab universa Catholica Ecclesia agitur, celebraretur, tamen ad praecedentem vel ad subsequentem diem dominicum possit transferri, translata etiam vigilia cum jejuniis ad sabbatum immediate praecedens, et publicata quotannis populo ex altari hujusmodi tum vigiliae tum festi translatione, et si fieri queat, etiam per edictum populum vel alio modo solemniori, facta semper mentione hujusce apostolici indulti. Deinde quantum ad opera servilia pauperioribus, juxta tuas preces, aliquibus diebus festis permittenda benigne concedimus, ut etiam in ss. Petri et Pauli apost. festo sarla

tectaue consueta die 29. Junii celebratione, et sacrosancti Missae sacrificii assistendi obligatione, divinis ante-meridianis absolutis, permitti pauperibus possint. Denique festum s. Martini Episcopi pro foro abrogamus, servatis tamen iis caeteris conditionibus, quae in commemorato apostolico Pii VII. indulto adjectae sunt et contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die 22. Novbr. 1831.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 59.)

2) Missarum.

Cf.: *Stipendium* (praecipue decr. de die 23. Novbr. 1697 et decr. PP. Pii VIII.).

Districte prohibetur et interdicitur, ne Episcopi in dioecesana Synodo aut Generales in Capitulis gener. vel alias quomodo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum aut post idem Concilium (Trident.) imposita aut in limine foundationis, sed pro iis omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad apost. sedem recurratur, quae re diligenter perspecta id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioqui reductiones, moderationes et commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit.

S. C. Conc. Trident. 21. Jun. 1625 approb. Urb. VIII. et Innoc. XII.

Si qui forsitan fuerint vel sint, qui suis pravis et erroneis intentionibus seu opinionibus blandiri volentes, Missarum celebrationem omittant, sub malitiosa vel irrationabili spe earundem condonationem vel reductionem a Sede apostol. vel compositionem obtinendi, Congr. Conc. tum eosdem tum quoscunque alios, qui posthac in adeo detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri et monitos esse voluit, praefatas condonationes et reductiones

ab eadem Sede non nisi ex rationabili causa seu aequa commiseratione, compositiones vero non nisi ex causa pariter rationabili et cum clausulis, praesertim cum illa: *Dummodo malitiose non omiserint omnino habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragatur*, admitti consuevisse et solere; quapropter dicta Congr. tales intentiones seu spes, ut eleemosynarum sive in toto sive in parte versionem in aliam quam praefatarum Missarum usum seu satisfactionem, et quascunque alias directas vel indirectas, immediatas vel mediatas contraventiones seu circumventiones declarat prorsus irrationabiles, injustas et illicitas illasque omnino reprobatur, damnatur et interdicit.

S. C. Conc. Trident. Die 23. Novbr. 1697.

Benedictus PP. XIII.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Prior Provincialis ac Fratres Provinciae Portugalliae Ordinis B. M. de Monte Carmelo antiquae Observantiae, quod Conventus ejusdem Provinciae non mediocri paupertate laborant, propterea quod redditus, quos possident, proveniunt ex Capellaniis antiquis et modernis in eorum Ecclesiis cum obligatione Missas solemniter et privatim pro illorum Fundatorum animabus quotidie celebrandi erectis, necnon ex simili onere Missarum ab aliquot Christianissimorum Confraternitatibus in eisdem Ecclesiis ab immemorabili tempore institutis, ac ejusmodi reddituum pars aut adeo tenuis existit, ut eleemosynae manuali non respondeat vel tempore absumptis seu deperditis bonorum proprietatibus plane disperit, ipsisque insuper exponentibus obligatio pro quolibet Religioso, quem ab humanis decedere pro tempore contigerit, juxta dicti Ordinis Constitutiones apostolica auctoritate confirmatas Missas, necnon

illas, quas ternariorum vocant, celebrandi incumbit; unde fit, quod hi redditus, etiam proventibus, qui ex aliquot Capellaniis majoris eleemosynae nuncupatis percipiuntur, conjuncti congruae sustentationis Religiosorum Conventuum praefatorum, et maxime Conventus Ulyssiponensis, in quo supra 140 Fratres degunt, pares non sint, nec eorundem Conventuum reaedificationi, Ecclesiarum reparationi, fabricae, paramentis aliisque expensis, quae pro Cultu divino ac divinorum Officiorum celebratione fieri debent, minime sufficiant, in primis in dicto Conventu Ulyssiponen., ubi in hanc Cultus ac Officiorum divinorum causam 4000 Cruciatorum monetae illarum partium, non computatis sumptibus paramentorum ordinariarum, quotannis insumentur, prout ex libris Sacrarum dicti Conventus aperte colligitur, quin expensae hujusmodi absque nota et fidelium scandalo ac ipsius Ordinis decore minui valeant, quoniam in regno Portugalliae divinas functiones splendide et magnifice peragere mos est. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, exponentes praedicti eo, quod redditus praefati tot tantisque expensis obnoxii sibi satis non sint, eleemosynas sibi per eosdem fideles in ultimis eorum voluntatibus relictas pro Missis in ipsorum exponentium Ecclesiis praesente cadavere vel alias canendis aut recitandis, quae Missae majoris eleemosynae esse consueverunt, accipiant, Missis vero Capellaniarum ac Confraternitatum praedictarum minoris eleemosynae et illarum, quarum proventus tempus immittit seu absumpsit, ac pro Religiosis defunctis, et quas ternariorum vocant, celebrandis singulis annis quandoque satisfacere non possint, iidem exponentes, ut quotiescumque aliquis ex Conventibus supradictae Provinciae has Missas celebrare nequiverit, idem Con-

ventus unam Missam solemnem sive generalem cum anniversario et absolute generali quolibet mense loco Missarum praefatarum celebrare valeat, concedi plurimum desiderent, prout dudum Fratibus Provinciae Baethicae ejusdem Ordinis B. M. de Monte Carmelo a fel. rec. Leone PP. X. Praedecessore Nostro concessum fuisse memoratur, Nobis propterea exponentes praefati humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apost. dignaremur.

Nos igitur pro paterna, qua Regulares Ordines complectimur, charitatis affectu memoratae Provinciae illiusque Conventuum inopiam, quantum cum Domino possumus, levare cupientes eosdemque exponentes specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ipsis modernis ac pro tempore existentibus Priori Provinciali ac Fratibus Provinciae et Ordinis praefatorum, ut, si propter paupertatem vel paucitatem Fratrum alicujus dictae Provinciae Conventus, illius Fratres Missas et divina Officia eis ratione Cappellaniarum praedictarum incumbentia, per memoratas Confraternitates injuncta, minoris eleemosynae, et quarum proventus tempore notabiliter diminuti aut assumpti fuerint, vel pro Fratre defuncto juxta Constitutiones Ordinis praedicti, seu quae ternariorum vocant celebranda, minime celebrare poterunt, loco ac vice Missarum et divinorum Officiorum ejusmodi unam generalem et solemnem

Missam cum anniversario et absolute generali quolibet mense celebrare libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium, de specialis dono gratiae, *quae non transeat in exemplum*, concedimus et indulgemus, ipsum Conventum ac illius Fratres per Missae cum anniversario et absolute generali quolibet mense celebrationem hujusmodi, ab onere et obligatione Missarum et divinorum Officiorum praefatorum auctoritate et tenore praedictis absolvimus et liberamus, eosque absolutos et liberos esse et fore declaramus. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae die 14. Jan. 1727.

(Bull. r. t. XIII. p. 271.)

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Praepositi et Presbyteri saeculares Congregationis Oratorii s. Philippi Nerii civitatis Bracharensis, quod ipsi ad caetera charitatis Officia, quae ex instituto ejusdem Congregationis exercent, adhibere sacr. missionum exercitia, praedicationem divini verbi in festis diebus, morientium tutelam, quos adeunt quocumque vocati, lectionem denique publicam tum in rhetoricis ac philosophicis facultatibus tum etiam in gravioribus theologiae speculativae atque moralis disciplinis, ideoque haud pauci necessarii sunt ministri, qui nomen eorum Congregationi dantes hujusmodi exercitationibus alacri animo ad christianae societatis bonum praesto sint.

Verum exiguum patrimonium quique ex eo parvus redditus, insufficientis ad alimoniam Congregatorum reperitur, si considerentur Missarum onera, quae antiqui ejusdem Congregationis Alumni

susceperunt ac stipulatione contractuum ferre promiserunt; quibus si addantur infortunia temporis ac victualium caritas, haec omnia in unum collecta efficiunt, ut eorum domus aes alienum quotannis contrahere cogatur, ita ut aliquando eandem Congregationem fore interituram non sine gravi spirituali damno timendum sit. Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut ad occurrendum hujusmodi malis reductionem Missarum, qualem fel. rec. Benedictus XIV. praedecessor Noster Fratibus Ord. SS. Trinitatis redemptionis captivorum regni Lusitaniae per suas in simili forma Brevis die 12. Mart. 1744 expeditas literas impertitus fuit, Nos quoque ipsis elargiri de benignitate apost. dignaremur.

Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, frater Archiepiscopo, seu discretioni tuae, fili Officialis, per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis, petitam reductionem quorumcumque onerum Missarum eidem Congregationi incumbentium in omnibus juxta formam praedictarum literarum Benedicti PP. XIV. nec exceptis iis, quae per contractum acceptata fuere, iisdem exponentibus auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio et conscientia gratis indulgeas, ita tamen, ut applicatio sacrificii specialiter fiat pro iis benefactoribus, quorum bona ab aliis secreta reperiri seu discerni possunt; generice autem seu collective quoad eas, quorum fundi commixti et confusi possidentur, et dummodo quoad futurum Missae non acceptentur, nisi recepto fundo sufficienti pro celebratione Missarum ad taxam eleemosynae perpetuae, et fundi Missarum onere gravati non alienentur, sub poenis contra alienantes bona ecclesiastica inflictis.

Non obstantibus quorumcumque testatorum etiam ultima voluntate, quam quoad praemissa sufficienter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut quoniam iidem exponentes in scientiis tradendis operam suam utiliter impendant, ipsos in Domino, tu venerabilis frater Archiepiscopo, seu dilecte fili Officialis, hortaris, et pro eo, quo in Deum amore flagrant, vehementer obsecres, ut discipulos suos caeterosque christianae doctrinae, dum illos erudiant, et verbum Dei festis diebus annuntiant.

Datum Romae apud s. Petrum die 20. Aprilis 1787.

(Bull. r. Contin. t. VIII. p. 40. Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VI.

VV. FF. Patriarchis, Archiepiscopis et Episc. Portugalliae et Algarbiorum.

Nuper pro parte carissimae in Christo filiae Mariae Franciscae reginae fidelissimae Nobis expositum fuit, plures in Portugalliae et Algarbiorum regnis supremo ejus dominio subjectis primogenituras et majoratus existere, adeo piis oneribus gravatos, ut vix ac ne vix quidem haereditariae vires pro adimplemento sufficiant. Opportunum igitur exoptans remedium Nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apost. dignaremur.

Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitatibus vestris tamquam Nostris et apostolicae Sedis delegatis, quatenus tam grave ex variis testatorum relictis impositum sit onus, ut illis intra vires haereditarias cujuscumque majoratus seu primogeniturae nequeat satisfieri, semel extra Synodum statuendi, re diligenter perspecta, pro vestra conscientia

quidquid magis ad Dei honorem et Ecclesiarum utilitatem videritis expediri, facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, tribuimus et impertimur.

Datum Romae die 6. Mart. 1779.

(Bull. r. Contin. t. VI. p. 81.)

Pius PP. VI.

Cum Nobis expositum fuerit vigore cujusdam legis et nonnullarum conditionum intuitu bona primogenituris et majoratibus subjecta in regnis carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae reginae fidelissimae a piis oneribus declarata fuisse exempta, cumque in ipso sui regni exordio ipsa piissima fidelissima regina legem illam de medio tollere curaverit, Nobis demum supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignareretur.

Nos igitur supplicationibus hujusmodi inclinati eademque carissimam in Christo filiam Nostram Mariam Franciscam reginam fidelissimam specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, nullitatem omnem, quae propter juris et facti defectus ex praedicta lege quomodolibet intervenerit, quousque lex ipsa, utcumque abusive viguit, auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium sanamus et neminem ob onerum adimplementum vigore legis dictae suspensum in poenas a sacris omnibus aliisque ecclesiasticis Constitutionibus impositas, incurrisse declaramus.

Quoniam vero Nobis expositum fuit, quamplures revera primogenituras et majoratus in Portugalliae et Algarbiorum regnis extare, ultra vires haereditarias piis oneribus gravatos, adeo ut ipsorum onerum adimplementum facile neglectum censi debeat, hinc, ut etiam pro futuro omne tollatur

conscientiae scrupulum eidemque carissimae in Christo filiae Nostrae reginae fidelissimae suisque subditis nulla remaneat de onerum adimplemento dubietas, per alias Nostras in simili forma Brevis literas expeditas Patriarchae omnibusque Archiepiscopis et Episcopis in Portugalliae et Algarbiorum regnis existentibus auctoritate Nostra apostolica facultatem concedimus, ut semel extra Synodum juxta datam eis a Domino prudentiam et rerum circumstantias omnibus debite perpensis, tamquam Nostri et apost. Sedis delegati Missarum et quorumcumque piorum onerum quantitatem habita ratione ad majoratum et primogeniturarum vires et redditus reducere et imminuere libere et licite possint ac valeant.

Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae apud s. Petrum die 6. Martii 1779.

(Bull. r. Contin. t. VI. p. 82.)

Pius PP. VIII.

Carissimus in Christo filius Noster Franciscus regni utriusque Siciliae rex illustris, quum probe noverit in Ecclesiis praesertim regalis ordinis Constantiniani appellatis quaedam exstare pia legata Missarum, quibus adimplendis adeo tenuis antiquitus attributa est eleemosyna, ut, impar quum illa in praesentiarum sit quotidiano Sacerdotum victui, non facile inveniantur Celebrantes, unde inexplata non sine gravi animarum purgantium detrimento remaneant, suppliciter fel. rec. Leonem PP. XII. decessorem Nostrum exoravit, ut tanto mederi malo quam citius vellet, tributa omnibus praesulibus Ordinariis memorati regni facultate taxam sive eleemosynam Missarum in quacumque regalis praedicti

Constantiniani Ordinis Ecclesia celebrandarum ad tres usque nummos argenteos vulgo carlini Neapolitani augendi, reducto consequenter atque immutato, servata proportione, earumdem Missarum numero; ast decessor Noster praedictus, qui super hujusmodi re VV. Fratres Nostros S. R. E. Cardinales Conc. Tridentini interpretes adhibuerat in Concilium, morte praecooccupatus votis ejusdem regis haud valuit satisfacere, a Nobis proinde iteratis precibus nomine ejusdem regis petitum fuit, ut praedictum eleemosynae augmentum Missarumque reductionem juxta preces auctoritate Nostra apost. in quibuscumque Constantiniani Ordinis praedicti Ecclesiis utriusque Siciliae regni sanciamus.

Nos itaque sollicitudinem et religionem ac pietatem ejusdem regis plurimi facientes haud gravate inducimur, ut ejusdem pio desiderio, quantum in Domino possumus, satisfaciamus, ac omnes proinde, quibus praesentes literae favent, speciali beneficentia prosequi volentes, omnibus et singulis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus et ecclesiasticis Praesulibus ordinaria facultate praeditis, intra limites utriusque Siciliae regni existentibus auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium facultatem opportunam facimus, ut ipsi, cognita necessitate praedicta, pro eorum prudentia et conscientia eleemosynam Missarum et piorum legatorum quorumcumque in omnibus Ordinis Constantiniani praedicti Ecclesiis in propria dioecesi existentibus celebrandarum ad tres usque nummos argenteos vulgo carlini Neapolitani augere ac earumdem Missarum numerum, servata proportione, reducere libere et licite possint et valeant et quilibet eorum possit et valeat; ita tamen, ut hujusmodi eleemosynae augmentum Missarumque reductio perpetuo in dictis Ecclesiis tantum vigeant,

nec ullo unquam tempore valeant immutari; utque pro oneribus sive legatis per eosdem ecclesiasticos Ordinarios ut supra reducendis, eorum semper defunctorum, qui legata hujusmodi pro suarum animarum salute ad pios reliquerunt usus, commemorationem fieri injungimus atque praecipimus.

Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, necnon quarumcumque lege foundationis etiam juramento confirmatione apostolica quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, quibus omnibus, singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficientes expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die 28. Aprilis 1829.

(Bull. r. Contin. t. XVIII. p. 10.)

3) Onerum Beneficiorum.

Vd.: *Reductio Missarum* (decr. Pii VI.); *Constitutio Urbani VIII.* in Bull. rom. t. V. p. 335.

REFERENDARIUS

signaturae rom. Praeced.

Extra Curiam roman. Referendariis uti Praelatis Papae et non Ecclesiae nulla intuitu Referendariatus praecedentia competit supra Rectores omnes et Praepositos necnon Canonicos Cathedralis, neque uti possunt habitu praelatio, nisi alias fuerint Proto-notarii apostolici. n. 1778 die 29. Jan. 1656.

De ejus celebratione Missae, vd.: *Protonot. apost.* (Missa privata).